

P R A E F A T I O.

Col. 1. Numeri peragenda] Munere peragenda.  
Ad Epistolam Victorii.  
Hilarus sedere cepit anno Dionysianæ Æræ CDLXI.  
Col. 1. Malles æstimare] Lege, malis æstimare.  
Janque præsumtum] Lege, jam quasi præsumtum.  
Delegasse] Lege delegares, & postea pro videris, lege videres.  
Ad Victorii Præfationem, p. 504.  
Refertur ad A. D. CCCLVII. Ind. X. Constantino & Ruffo Coss.  
Col. 2. Efficiet primi mensis initium] Lege, efficiat.  
Valentiniani secundum] Lege, tertium. A. D. CCCLXXVIII.  
Pag. 505. col. 2. Per CCC & XXX annos] Utrouque

termino juncto. Alioqui legendum CDXXVIII.  
DCCCII. annis] Legendum videtur DLII.  
Electione servatum] Electioni.  
HÆC ex Blondello hæcenus: quæ plura essent, si plura scripsisset. Nihil præterea addendus, nisi emendationes aliquot Cyclorum Solis & Lunæ litterarumque Dominicalium, quas nobis suppeditavit Vir Doctissimus Paulus Baudry. Hæc omnia rectius, me quidem iudice, infimæ oræ hujus editionis addita fuissent; sed Bibliopola aliter visum, ob rationes quas Lectorum scire nihil interest.  
Emendationes in Cyclis Solaribus & Lunaribus, litterisque Dominicalibus, expressis Libro XIII. de Doctrina Temporum.

730.	2.	9.	E.	poius	2.	8.	E
731.	3.	10.	D.	P.	—	3.	D
732.	4.	11.	C.	P.	—	4.	C
1600.	26.	16.		P.	—	8.	7
2266.	26.	4.		P.	—	26.	5.
2539.	19.	12.	A. G.	P.	—	19.	12.
2656.	24.	15.	G.	P.	—	24.	15.
2692.	4.	13.	E.	P.	—	4.	13.
2756.	12.	12.		P.	—	12.	1.
2757.	13.	13.		P.	—	13.	2.
2762.	18.	18.		P.	—	18.	7.
2763.	19.	19.		P.	—	19.	8.
2766.	22.	3.		P.	—	22.	11.
2776.	4.	13.		P.	—	4.	2.
2778.	6.	15.	C.	P.	—	6.	4.
2779.	7.	16.	F.	P.	—	7.	5.
2783.	9.	19.	D.C.	P.	—	11.	9.
2914.	2.	17.		P.	—	2.	7.
2957.	17.	12.	A.	P.	—	17.	12.
3182.	8.	18.	F.	P.	—	18.	9.
3245.	25.	15.	C.	P.	—	25.	15.
3338.	6.	13.	A.G.	P.	—	6.	13.
3375.	15.	12.	G.	P.	—	15.	12.
3530.	2.	16.	E.	P.	—	2.	15.
3531.	3.	15.	D.	P.	—	3.	16.
3647.	8.	18.	F.	P.	—	7.	18.
3819.	11.	19.	B.	P.	—	11.	19.
3847.	11.	9.	F.	P.	—	11.	9.
4117.	1.	13.	G.	P.	—	1.	13.
4589.	25.	9.	E.D.	P.	—	25.	10.
4674.	22.	19.	C.	P.	—	26.	19.
4783.	24.	13.	G.	P.	—	23.	14.
4784.	25.	14.	F.	P.	—	24.	15.
4905.	5.	3.	B.	P.	—	5.	3.
4952.	2.	12.	F.	P.	—	24.	12.
5101.	5.	9.	3. B.A.	P.	—	5.	9.
5141.	17.	1.	11. G.	P.	—	17.	11.

FINIS PRÆFATIONIS

R E.



AD REVERENDUM PATREM  
**BERNARDUM LAMY**  
CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERUM,  
DE LXX. HEBDOMADIBUS DANIELIS.

Eusebii Franco-Romani Refutatoria Oratio.



UM Bibliopolarum nuper in hac civitate tabernas librarías circumcursarem, in una quadam ex his oblatas est mihi liber, Reverende Pater, a te recens editus, hoc titulo: *Apparatus Chronologicus & Geographicus ad Commentarium in Harmoniam sive Concordiam quatuor Evangeliorum*. Inter alias autem Dissertationes, quibus hoc opus onerasti, illam in primis cursum perolveri, (quantum in publica Bibliopola nominatissimi raberna licuit,) quæ est de lxx hebdomadibus Danielis. Miratus sum enim vehementer, ipso percussus titulo, esse aliquem, qui vellet actum agere: hoc est, post interpretationem Prophetici oraculi a R. P. JOANNE HARDUINO allatam, in Chronologia Veteris Testamenti, aliam cudere. At ubi eandem a te oppugnari legendo deprehendi, multo mihi magis mirum visum est. Vidi enim tandem nihil a te profertur in contrarium, quod non alienum a vero sit: nihil ad tuam constabendam sententiam, quod non sit mirifice imbecillum. Faciam autem ut id ipse quoque intelligas, proposita primum ante oculos Danielis prophetia, ex cap. ix. quæ venit in controversiam: ut singula rursus mecum verba perpendas, quæ nec integre descripsisti, nec videris satis diligenter considerasse.

§. I.

Danielis de Christo vaticinium.

IN anno primo Darii filii Assueri, de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldaorum: anno uno regni ejus, ego Daniel intellexi in LIBRIS numerum annorum, de quo factus est SERMO Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem SEPTUAGINTA ANNI. Et posui faciem meam ad Dominum meum rogare & deprecari in jejunio, sacco, & cinere. . . . Cumque adhuc loquerer & orarem . . . ecce vir Gabriel . . . locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est SERMO; ego autem veni ut indicarem tibi . . . Tu ergo animadverte SERMONEM, & intellige VISIONEM. SEPTUAGINTA HEBDOMADES ABBREVIATA SUNT super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & ungetur sanctus sanctorum. Scito ergo, & animadverte: AB EXITU SERMONIS, ut iterum adificetur Jerusalem; usque ad christum ducent, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursus adificabitur platea, & murus in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur CHRISTUS; & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multæ hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.

Part I.

§. II.

Hebdomadam calculat ex hypothesi P. PETAVII.

P. DIIONYSIUS PETAVIUS, libro XII. eruditi Operis sui de Doctrina Temporum, ipsa septuagesima hebdomade contigisse ponit Christi Domini passionem: idque ut suadeat, initium hebdomadam ducit ab anno Artaxerxis Longimani vicefimo: ita tamen ut annus ille vicefimus Artaxerxis non a Xerxis obitu numeretur, qui pater fuisse creditur Artaxerxis; sed ab anno ante Xerxis obitum decimo; quo anno primum Artaxerxis initium collocat, jam tum adscito Artaxerxi, ut putat, in communionem regni a patre. Et est illa quidem ingeniosa conjectatio; in qua stabilienda vere se ille, ut in ceteris, multigenæ lectionis & eruditionis virum ostendit. Itaque initium ille hebdomadam statuit anno Urbis Romæ ccc. Christi passionem anno dccclxxxiii. qui est hebdomadis ex illo initio septuagesimæ annus secundus. De hac hypothesi dicemus adhuc inferius obiter.

§. III.

Calculat hebdomadam ex hypothesi P. HARDUINI.

Anni ante Christum.	Anni Urbis Romæ.
606	148
605	149
604	150
603	151
602	152
601	153
600	154
599	155
598	156
597	157
596	158
595	159

Annus primus captivitatis annorum LXX.  
Jechonias rex Juda captivus abducitur: & cum eo Mardocheus, qui postea Estheris patruus. Sedecias Jechonias subrogatur.  
Eclipsis a Thalete prædicta, sub Cyaxare Medo contigit hoc anno.  
Ex Altyage Cyaxaris F. nascitur Mandane Cyri mater.  
Ex Assuero Altyagis fratre natu minore nascitur Darius Medus. Dan. ix. i.

Bal.

PRÆFATIO,

Anni ante Christum.	Anni Urbis Romæ.		Anni ante Christum.	Anni Urbis Romæ.
594	160		542	212
593	161	Baltasar Nabuchodonosoris F. cum patre regnat. Baruch 1, 11, 12.	541	213
592	162	Astyages Cyaxaris F. regnat in Perside & Media.	540	214
591	163		539	215
590	164		538	216
589	165		537	217
588	166			
587	167	Templi Hierosolymitani excidium sub Nabuchodonosore.		
586	168	Annus primus Templi desolati.	536	218
585	169			
584	170	Nabuchodonosor e Perside pellit Astyagen. Jerem. XLIX, 34 &c. Astyages in Media sola regnat, exutus Perside.	535	219
583	171		534	220
582	172			
581	173	Mandane filia Astyagis, Cambysæ Persæ nubit in Media.	533	221
580	174	CYRUS genere Persæ, nascitur in Media.		
579	175			
578	176			
577	177			
576	178			
575	179			
574	180			
573	181	Esther circiter hoc tempus nascitur in Perside.		
572	182	Baltasar Baltasaris F. nascitur.		
571	183			
570	184	Baltasar Nabuchodonosoris F. obiit.		
569	185			
568	186			
567	187			
566	188			
565	189			
564	190	CROESUS regnat in Lydia: in qua & Macedones. Esth. XVI, 14.		
563	191	ASSUERUS Medus, frater Astyagis Medii, Cyaxaris filius, pulso Nabuchodonosore Persidem recipit. Ipse est Assuerus Estheris. Esth. I. Pater Darii Medii, Dan. IX, 1.		
562	192	Nabuchodonosor moritur.		
561	193	Annus secundus Assueri, qui & Artaxerxes Maximus. Esth. XI.		
560	194	Evilmerodach rector imperii Babylonicum. Jerem. LIII, 31.		
559	195	Assueri convivium in Perside. Esth. 2.		
558	196	Nitocris regina Babylonia, vice pupilli Baltasaris. Regina, Dan. V, 1.		
557	197	Deducitur Esther ad Assuerum regem Persidis.		
556	198	CYRUS Astyagis, Mediam eripit, Assueri rege Persidis, fratre Astyagis, consentiente: ne Croesus eam Medis, sicuti Persidem Nabuchodonosor multo ante, eriperet.		
555	199	Hic finis VII. HEBDOMADUM DANIELIS.		
554	200			
553	201			
552	202	Anceps victoria inter Cyrum & Croesum.		
551	203	Cyrus Mediæ rex Croesum capit.		
550	204	Esther pro Judæis fit supplex Assueri regi Persidis.		
549	205			
548	206			
547	207	DARIUS MEDUS Assueri F. regnat in Perside. Dan. IX, 1.		
546	208			
545	209			
544	210			
543	211			

Darius

CUM DISSERT. DE LXX. HEBD. DANIELIS.

§. IV.

Calculus hebdomadum Danielis ex hypothese P. LAMÏ.

Anni ante Christum.	Anni Urbis Romæ.	
512	242	Darius Hystaspæ F. regnat jam quoque in Perside, qui Mediam dumtaxat prius obtinebat.
511	243	Annus septimus Artaxerxis Babylone hic numeratur. 1. Esdr. VII, 1, 8.
510	244	
509	245	
508	246	
507	247	
506	248	
505	249	
504	250	
503	251	
502	252	
501	253	
500	254	
499	255	
498	256	
497	257	
496	258	
495	259	
494	260	
493	261	
492	262	
491	263	
490	264	
489	265	
488	266	
487	267	
486	268	
485	269	
484	270	
483	271	
482	272	
481	273	
480	274	
479	275	
478	276	
477	277	
476	278	
475	279	
474	280	
473	281	
472	282	
471	283	
470	284	
469	285	
468	286	
467	287	
466	288	
465	289	
464	290	
463	291	
462	292	
461	293	
460	294	
459	295	
458	296	
457	297	
456	298	
455	299	
454	300	
453	301	
452	302	
451	303	
450	304	
449	305	
448	306	
447	307	
446	308	
445	309	
444	310	
443	311	

Part. I.

§. V.

Defensio sententiæ P. HARDUINI.

AN tu vero, Reverende Pater, quidquam eorum convellis, quæ ille ad suam hypothesein additædam attulit? Nam ille nunc mihi a tua reprehensione vindicandus est; nec tua nisi obiter refutanda opinio; siquidem id ille jam strenue petegit.

Anus es primo loco dicere, ab eo proponi novum Danielis interpretamentum, ideo non multo diversum, censendum ab opinione Marshani, quia uterque volunt completum vaticinium circa idem fere tempus: Marshani sub Antiocho Epiphane, contra quem insurrexerunt Machabei: alter vero in Onia morte, quæ huic sacerdoti obigit circa hæc tempora. Atqui hæc insignis, pace tua dixerim, calumnia est. Negat enim P. Harduinus conceptis verbis, ullam sibi probari aut placere posse hujus oraculi interpretationem, nisi ad Christum Servatorem referat potissimum vaticinium partem, quæ Christi necem describit, & Urbis deinde atque ibi excidium. Negat sibi placere veteres, hoc est, ut ibi appellavit, sive Patres Græcos, quorum ex ingenti numero unus hæc verba, Occidetur Christus, aut omnino legit, aut de Christo Servatore accepit, est fortassis ipsum etiam Christi nomen legit: sive Latinos e veterioribus, qui Christum ibi pariter vel non legerunt, vel non intellexerunt: Et quamvis, quod plerique legant, Cessabit unctio; aut de Hyrcani Pontificis necesse abolitiove sacerdotio accipiant, non videatur quisquam cogendus, ut de Christo Domino hunc locum intelligat; ab ea nos tamen opinione, inquit, longissime absimus; quibus persuasissimum est & Græca hoc loco interpolata esse, & Christum hic ipsum Dominum intelligi oportere, ut Vulgatus interpres intellexit. Affirmat deinde prophetiam Danielis DIRECTE CHRISTUM SPECTARE UNUM, excidiumque Templi suscitum: Oniam & similes typos, indirecte tantum & secundario, ut loquuntur, tanquam symbola & adumbrationes rerum futurarum. Et Christum quidem directe, siquidem is de nomine appellatur: Oniam indirecte, siquidem de nomine non appellatur. Denique abhorretere se vehementer ab Estii sententiâ docet, qui in Matth. xxiv. hoc integrum vaticinium ad Antiochi tempora & profanationem templi ab eo factam spectare asseverat. Audi loquentem P. Harduinum: Non igitur Antiochi regis ac Jude Machabei temporibus Danielis vaticinium impletum esse dicimus: Absit. Quamquam Estius Doctor Duacenus &c. Hocci-ne est dicere, ut affingis, vel Antiochi regis temporibus, vel in Onia necesse vaticinium esse completum? In



P R Æ F A T I O,

arbitraris, post septuaginta hebdomadas. Intra has, inquit Angelus, abbreviatis hebdomades septuaginta complebitur pravariationis antiqua poena, finem accipiet poena peccati, delebitur prisca iniquitas; inducet cultus religionis longo tempore duraturus; implebitur visio & prophetia oblata Jeremiae, de aedificanda iterum civitate, de ungendo sacerdote, de sanctuario restituyendo. Nam illa locutio, septuaginta hebdomades abbreviatae sunt, ut consummatur pravariatio, longe dispar ac dissimilis huic est, Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat, &c. Alia longe ac diversa vis est huic particulae ut; alia isti, donec. Aperte hac denotat, nonnisi post novissimum regum Judae, hoc est, post Archelaum, apparitum esse Christum doctorem. Sed abbreviata hebdomades cum dicuntur, ut consummatur pravariatio, intra hoc ipsum tempus consummandam pravariationem, hoc est, complenda peccati poena intelligitur. Nam consummari pravariationem, compleri poenam pravariationis esse, Jeremias ipse simili vaticinio admonet, Thren. iv. 22. Completa est iniquitas tua, filia Sion: non addet ultra ut transmigret te. Nam si dixeris complendam esse iniquitatem, si pravariationem consummandam, num quid tandem interest?

§. IX.

Verfu 24. Et ungetur sanctus sanctorum.

AT nunc adiciam aliquid, Reverende Pater, quod sua te novitate percellat; quod apud eos scriptores, quos describis, non legeris. Titulum hunc scilicet, sanctus sanctorum, de Christo Servatore accipi hoc loco non posse. Status tu quidem contra, pag. 169. Sanctus sanctorum, inquis, in Hebraeo idiomate est sanctior, vel omnium sanctissimus: ut vanitas vanitatum dicitur maxima vanitas. Quo demum in Hebraeo volumine tibi istud, mi Pater, occurrit? Non in Bibliis certe Hebraicis: qui liber tamen unus afferri ad hanc dirimendam controversiam jure potest. Nescis in hac loquendi formula, sanctus sanctorum, aequae atque in ista, sancta sanctorum, pluralis numeri genitivum non ex masculino singulari ortum habere, sed ex neutro sancta, quo sanctorum integrum significatur. Sic de Christo Servatore Paulus, Hebr. ix. ii. Introivit semel in sancta. Et iv. Reg. xii. 4. pecunia sanctorum, pecunia sanctorum est. Sanctum sanctorum sanctissimus sanctorum locus fuit. Ipsum altare sanctum sanctorum fuit, pars sanctorum consecrata: fuit vasa denique, & arca, & thymiamata, & hostiae, sancta sanctorum, hoc est, res sanctorum sanctissimae. Atque ut hanc res illa obtinerent appellationem, ea propterea, exceptis victimis, vel ungebantur oleo sacro, vel ipsomet oleum sacrum fuit. Exod. xl. ii. Omnia unctiois oleo consecrabis, ut fuit sancta sanctorum. Num. vii. i. Tabernaculum unxit, & sanctificavit cum omnibus vasibus suis: altare similiter, & omnia vasa ejus. Summus Pontifex eodem sacro delibutus oleo, sanctorum sanctorum fuit, vel, ut hic appellatur, sanctus sanctorum. Nam ita praeciperat Deus Moysi, Exod. xxx. 26, 29, 30. Et ungetur... sanctificabisque omnia, & erunt sancta sanctorum... Aaron & filios ejus unges, sanctificabisque tibi, ut sacerdotio fungantur tibi. Tunc Hebraismus est, cum priori alicui nomini substantivo substantivum idem nomen plurale subjungitur, ut vanitas vanitatum apud Ecclesiasten; & in hoc ipso vaticinio Danielis, aliique allatis proximae locis, sanctitas sanctitatum: nam sic Hebraei loquuntur. Adjectiva autem cum adjectivis, aut cum substantivis etiam pluralis numeri non magis confociant, quam Latini, Graeci, vel Galli: nec magis illi dixerint sanctus sanctorum, si posterior vox ista adjectivae sumatur, & genere masculino, quam isti vel Eruditus eruditiorum dixerint, vel Impius impiorum. Nec tamen propterea non optime vertit interpretes Latini hoc loco, sanctus sanctorum: quandoquidem vox sanctorum pro sanctorum est: & inter sanctitates sanctitatum, ut loquuntur Hebraei, hoc est, inter res sanctas sanctorum potissimum obtinet locum qui est sanctificatus Deo summus sacerdos, atque in eam rem unctus: Aaron enim unges, sanctificabisque tibi. Itaque sanctus sanctorum sanctificatus Deo per oleum unctiois ad ministeria sanctorum summus sacerdos est. Atque hoc illud est quod Angelus hoc loco Danieli praedicat; preces

ipsum nimirum ex illa etiam parte exaudiendas esse, quae versu 17. continetur; Et ostende faciem tuam super sanctorum tuum, quod deservit est. Ipsum enim dicit sanctificatum Deo sanctorum, ipsumque sanctorum Pontificem de more unguendum. Itaque quot sunt in hac prophetia diversi hominum tituli, tot diversa designantur personae: & sunt singularia nomina adeo propria singulorum, ut suo quisque nomine perpulere designetur, feceruntque a ceteris: & suo idcirco peculiari versu fere nomen unumquodque represententur. Nam versu 24. sanctus sanctorum, sanctificatus Deo in sanctorum ministeria summus sacerdos est. Versu 25. Christus dux, belli sive exercitus ductor est. Versu 26. Christus simpliciter, Messias verus est. Non est ille tamen sanctus sanctorum, siquidem non est sanctificatus oleo ad ministeria sanctorum Judaici: at Messias praecise, sive Christus est. Denique dux venturus, dux militiae est, sed non Christus dux, ut priores: siquidem non est a Deo missus ad restituendam populi pacem, ut Cyrus & Machabaeus. Quod si his omnibus locis Christum unum Dominum intelligi oporteret, eodem & uno nomine, opinor, non tam diversis nominibus eundem unum indicasset. Sanctus sanctorum, adjectivae si dicitur, nullum sentum habet, ut diximus: tamen nunc est in ore vulgi instar elogii, & simile censetur huic locutioni. Dominus dominorum, & Rex regum; quae sunt nomina substantiva. Sed natus hic error est ex prava hujus loci interpretatione: nam alibi nec ista se offert, nec similis altera. Ut ut est, negabit certe pro suo jure Judaeus, hac loquendi formula Messiam designari; siquidem nec in libris sacris ipsam alibi eidem tribuitur, nec in traditione Magistrorum.

§. X.

Verfu 25. Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem.

SERMONEM illum, de quo dictum est, Ab exitu sermonis, edictum regium interpretaris; atque aliter sentientis P. Harduini hac verba describis, pag. 184. Opinarum perperam repeti a plerisque ab edicto aliquo regio de civitate sancta instauranda: siquidem vox ea, sermo, praecise & sine adjectivo posita, iustionem regiam in sacris litteris, neque usquam alibi significat: sed divinum nam semper in sacris libris praedictionem, aut pollicitationem, & cetera. E Notariorum formulis, ut aiunt, desumptum illud tuum & cetera est. Numquam optima fide verba aliena describis. Ea semper studiose premis, quae potissimum valent ad litem decidendam. En verba integra P. Harduini: Hebdomadarum tamen initium opinarum perperam repeti a plerisque, ab edicto aliquo regio de civitate sancta instauranda: siquidem vox ea, sermo, praecise & sine adjectivo posita, iustionem regiam in sacris litteris, neque usquam alibi significat: sed divinum semper in sacris libris praedictionem, aut pollicitationem: ut proxime antea versu 23. Ab exordio precum tuarum EGRESSUS EST SERMO. A quo? A Deo utique, qui Danielis preces exaudierat: a quo deinde sermonem egressum, mandatum, oraculum, ego veni, inquit Gabriel, ut indicarem tibi. Et mox: Tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem. Et versu 2. Intellexi numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam. Atque hic ipse sermo ille est, quem Gabriel indicavit, cum diceret. Ab exitu sermonis &c. En argumenta, quae censuisti premedata silentio; quoniam fidem facerent, Sermonis vocabulo, cum absolute in sacris libris ponitur, ac praesertim in hoc capite nostro Danielis, quo de agitur, & ubi quater occurrit, non nisi praedictionem, vocem, iustionem ex ore Dei procedentem significat. Ex quibus P. Harduinus colligit, neque aliud istis quoque verbis indicari, Ab exitu sermonis, quam illis prioribus. Sententia igitur horum verborum est, Ex quo Deus Jeremiae indicavit Hierosolymam iterum esse aedificandam. Tunc enim Jeremiae librum Daniel perlegebat, ut ipse initio capitis hujus admonet: annique septuaginta, super quibus meditandus haretat, dederat Angelo occasionem praedicens rem aliam intra septuaginta hebdomadas abbreviatam eventuram, facta ab eodem illo sermone Dei ad Jeremiam, cujus verba haberet ob oculos, computandi initio. En cur ait ille, Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur

CUM DISSERT. DE LXX. HEBD. DANIELIS.

fecerit Jerusalem. Tertullianum eruditum aiunt, & qui hunc descripsere, Hieronymum, ac Petrum Cluniacensem, vertisse, a prophetationis sermone; Petrum Blesensem, libro 1. contra perfid. Jud. cap. xiii. & Petrum Alfonsi, qui ex Judaeo factus eruditur Christianus saeculo xii. ab hujus die prophetiae: ut de sermone divino noveris nec primum, nec solum haec verba intellexisse P. Harduinum.

At hunc, inquis, decussit respondere testimonio quae probant dictam vocem, sermo, significare in scripturis iustionem regiam. Et in margine, Ut supra vidimus, pag. 167. Neque aliud ibi tu quidem adicis. At in illa pag. 167. haec te dumtaxat scripsisse reperimus. Egressus est sermo, id est, exivit a Deo decretum. Exiit, ut dicuntur decreta principum, cum vulgatur. Sic apud eundem prophetam, (cap. 2. vers. 13.) & egressa sententia sapientes interficiebantur. Ille sermo sive decretum tibi non potest alicui principi, puta Cyro: Dei enim decretum est, quod ut indicaret advenerat Angelus, &c. Haec sunt testimonia, quae pag. 184. polliceris a te proferenda; ut constet, vocem hanc sermo, si solitarie ponatur, iustionem regiam significare? At ejus rei neque vola ibi, ut aiunt, neque vestigium est. Non in alienis modo testimoniis quae allegas, sed dum tua ipsius verba describere te ais, R. Pater, vel fallis, vel fallit te memoria. Quid quod etiam causam adjuvas P. Harduini? Nam si ea locutio, egressus est sermo, te ipso interprete, sermone significat, qui a Deo, non qui ab aliquo rege exiit: quid exitus sermonis significare versu altero proxime consequente potest, nisi sermonem, qui a Deo pariter, non qui ab aliquo rege, exiit? Aliudne tibi exiit, aliud est egressus?

Quod si opinionis tuae, R. Pater, suffragari existimas ea Danielis verba quae afferis, Et egressa sententia sapientes interficiebantur: primum quidem, cum plura pollicitus fueris testimonia, quae tecum facerent, unicum exhibes. At neque unicum istud tibi ulla ex parte prodest. Dimidiatus dumtaxat versus est, quem de industria ab antecedente particula sententiae integræ abstracti atque avellisti, ne contra te facere locus ille ipse, si proferretur integer, videretur. Ecum; lege: Quo audit, rex in furore & in ira magna praecipit, ut perirent omnes sapientes Babylonia; & egressa sententia sapientes interficiebantur. Num ludibrio nos habes, R. Pater, qui eo legentes remittas, ubi nihil sit eorum, quae ibi se inventuros esse polliceris? Libri ne cudentur eo sine dumtaxat, ut ex charta alia nigra fiat? Haec enim testimonia sunt, quibus illud P. Harduini placitum subruat a se veritas, Vocem hanc, sermo, quoties in sacris litteris simpliciter ac sine adjectivo ponitur, ut in capite nostro Danielis quater occurrit, non nisi divinum significare sermonem? Cum egressa sententia dicitur, quam regiam esse sententiam eadem ipsa oratio appellato regis nomine admonet; nec de sententiae vocabulo, sed de sermone sit quaestio; quid istud ad rem, amabo, decidendam attinet? Nisi forte ipse hic locus docet, quem admodum sententia ibi regia tantum intelligenda est, quoniam regis sit antea proxime mentio; sic in eo loco altero, Ab exitu sermonis, non nisi divinum intelligi posse sermonem, propterea quia proxime antea non regius alicuius, sed divinus tantum sermo commemoratur. At si ita est, ut est profecto, si eo verbo, Ab exitu sermonis, sermo divinus intelligitur, ruit funditus tua, R. Pater, ruit alia qualibet hujus oraculi interpretatio, praeter eam quae est P. Harduini. Abhorret a vero vaticinii sensu, statim a primo ipso vocabulo, quisquis secus accipit. Hebdomadam calculus annis ipsis octoginta prius est in eundem, quam tu hebdomadam institutionem computationem. Haec sunt demonstrationes tuae?

Sed jam video, R. Pater, cur plura sis hoc loco testimonio pollicitus, quamvis unicum antea protuleris. Habuisti nimirum ante oculos, tunc cum scriberes, Commentarios Porto-Regensium in Daniele: ubi tria indicantur loca sacrorum codicum in hunc versum 25. Ab exitu sermonis. Gallice, ut sunt, verba describam. Depuis la sortie de la parole: Phrase Hebraïque, qui signifie, Depuis la publication de l'ordre qui sera donné. Daniel, cap. 2. v. 13. Cap. vi. v. 7. Luc. cap. 2. r. satis habuisti ex his locis tribus primum allegare, quoniam perspiceres duobus aliis nihil probari. En enim alterum e Danielis capite vi. versu 7. Ut decretum

imperatorum exeat, & edictum. E Luca autem est hujusmodi: Exiit edictum a Caesare Augusto. Haec, inquam, loca intellexisti non aliquid valere ad convellendum, sed valere e diverso plurimum ad id adstruendum, quod asserit P. Harduinus: voce illa, sermo, cum absolute ponitur, in primis vero cum sermonis divini mentio proxime antecessit, non regium alicuique, sed divinum designari sermonem. Itaque primum ex his tribus locis, cumque decurtatum, ut diximus, operis tui pagina 167. descripsisti: Cum ad paginam deinde 184. pervenisti, fallente memoria, tria ibi Porto-Regensium testimonia a te descripta ratus, testimonia plura a te ibi allata dixisti. Si quid istiusmodi admittit P. Harduinus, quoties hunc male fidei scriptorem esse, vel parum memorem, exclamaret?

Verum fac ita esse: fac, inquam, istis verbis, Ab exitu sermonis, edictum regium indicari: cur Artaxerxis potius, quam Cyri, edictum jubes intelligi? Est enim ille sermo de Hierosolyma iterum exstruenda. Exstrui autem Hierosolymam non Artaxerxes alicuius, sed Cyrus, edicto iussit. Accipe ejus rei testem Deum ipsum apud Isaiam, cap. xlv. 1, 13. Haec dicit Dominus Christo meo Cyro... Ipse aedificabit civitatem meam: & captivitatem meam dimittet. Et cap. xlv. 28. Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jerusalem: aedificaberis; & Templo: Fundaberis. Vides aedificari ipsam iterum Hierosolymam ab eo Principe, cujus etiam iustione & dimissa populi captivitas est, & Tempulum fundatum? Non Cyrum ipsum audis de nomine appellari? An captivum populum Artaxerxes tuus dimisit, an templum fundavit?

Aliud ipsius summi Dei testimonium accipe, ex hac ipsa petito oraculi parte, quae nunc venit in controversiam. Nam si fontem Hebraeorum consulimus, quem Vulgate editioni anteponis, & quem unum adversus Judaeos par est adhiberi; legi hoc loco oportet, Ab exitu sermonis ad revereri faciendum, & ad aedificandam Jerusalem. Quod si regis edictum his verbis intelligimus, Ab exitu sermonis, illud profecto intelligendum edictum est, quo data facultas Judaeis Hierosolymam revertendi, aedificandaeque civitatis. Igitur unum unius Cyri edictum fas erit hoc loco intelligi. Neque enim redeundi in sanctam civitatem data copia est edicto Artaxerxis, sed Cyri.

Hanc tu Hebraicam lectionem, tamen primigenia est, premis silentio; & idem pag. 170. Graecam allegas, quae est obscura, nec accurata: Ab exitu sermonis ad respondendum & aedificandam Jerusalem. Num vero Graecus Judaeis contextus, ac non potius Hebraeus, obijciendus est? At praeterea, ne cui de Hebraeis orationis sententia quod verum est suboleret, ais voce Hebraea לְהַשְׁכִּיב saepe significari respondere. Verbum, inquis, fontis Hebraei לְהַשְׁכִּיב Graeci interpretes reddunt & δουλεύω: & respicit verbum שָׁמַר eam habet significationem: sed ibi (ut infra probaturi sumus) proprie denotat iterationem. Nempe indicat Angelus, quod iterum aedificanda esset Jerusalem. Iterationis species responsio est. Ita verbum Hebraeorum QUANDOQUE significat respondere. Oedipum profecto necesse est esse, qui velit seriem ac vim hujus ratiocinationis assequi. Ac ne in ea extricanda, quoniam lites hujusmodi odimus, immoremur; quod das interrim accipimus; loci sententiam esse, Hierosolymam iterum exstruendam. Neque vero, si Graecum istum interpretem excipias, quilibet omnino Catholicus Judaeus, verbum Hebraeorum in hoc Danielis oraculo vertit ad respondendum. Spernant autem omnino Judaei, quibus demonstrationem polliceris, Graecum contextum. Spernant etiam Doctores Catholici hac saltem parte, in qua Peribit sanctio positum est, pro eo quod in Hebraeo Latinoque legitur, Occidetur Christus. At Santes Pagninus, Arias Montanus, & peritissimi quique Hebraei sermonis, sic transtulerunt: Ab exitu sermonis ad revereri faciendum, sive ad reducendum: & ex eisdem plerique adiciunt, subintelligendum ibi populum esse. Ergo si edictum hic oportet intelligi, Cyri edictum illud esto, non Artaxerxis. Atqui ab edicto Cyri si calculus hebdomadam ducitur, occurrit hebdomadam finitulus ipsis amplius quadraginta ante Christi natalem. Num igitur temere posuit P. Harduinus, minime oportere hoc verbo, Ab exitu sermonis, regium edictum intelligi?

Neque

